

Ramulus a me missus floribus *Meliae*, an Tua *Melia Guara*?

Eustratii herbarium complectitur ad minimum 350 species.

Thlaspi mont. Clus. si prodiret e seminibus maxime laetarer. facies abludit a *Clypeola*. *Jonthlaspi* siliqua non est monosperma nec dehiscente.

Asclepiades examinavi, sed nondum mihi ipsi satisfeci.

Aves quas tam graphice descripsisti Tua pace inseram meo systemati cum honorifica nominis Tui mentione ad singulas.

Avis Caranae gameli similis est Guainumbi Marcgr. 193.

Bihai non ausus fui inserere systemati, cum Rolander mihi dixerat genus esse distinctissimum, et fructu tricocco. Quaeso me doceas vera, cum fidem nequeam adhibere ejus observatis.

Ceratoniam marem vidi in horto parisino florentem.

Camerarius feminam delineavit, *Allioni* idem me docuit, quod Tu.

Ex missis ultimo plantis:

1. *Juncus parvus* cum pericarpis rotundis. 1. B. 2. p. 522. Gr. junceum junci sparsa panicula. Moris. hist. 3. p. 227. f. 8. t. 7. f. 11.

2. *Verbena urticifolia* ex specimine est, ni me omnia fallant, plantam habeo vivam; nec *Verbena Carolina* Dill. elth. esse potest.

3. *Cistus*, ex hoc fracto specimine non possum determinare.

Cherleriam cures ut habeam; semina quae accepi non valebant. Doceas quaeso 1^{mo} an stamina vere sint quinque? an Germen unicum v. tria? an petala sint ista 5 foliola Seguieri in flora, cum dicat ea esse non alterna sed opposita foliolis calycinis.

Exspectavi ad Tuas respondere usque dum acciperem Tuum librum, quem quotidie promiserat Gronovius. Hieri